ORATIO IN ADVENTV

R.mi Patris Magistri

PHILIPPI

GESVALDI

Ordinis Minorum Conuentualium Generalis.


Patauii habita A Fratre Io. Baptista Tasso de Voltagio eiusdem ordinis, nomine celeberrimi collegii diui Antoni.



Patauii, apud Laurentium Pasquatum 1596.
Superiorum Permissu.

Horatij Gullielmi Pinerolienſis
Carmen ad Oratorem.





EN tua Gorgoneo perfundit labra liquore,
Nectens hæc capiti Laurea ſerta tuo,
Vertice nata Iouis ſummi Tritonia Virgo
Cæleſtis Sophiæ, munera larga tulit,
Celica dum pandis ter magni geſta Philippi
Feſtino ueniens ex Helicone gradu,
Quo duce deſertas terras Aſtræa reuiſit,
Franciſci redeunt aurea ſecla pii,
Auſpice quo Seraph grandis Corbita minorũ
Nõ timet Vndiſoni crebra pericla maris.

R.mo Patri Magiſtro Philippo Geſualdo Ord. Min. Con. Miniſtro Generali ampliſs.

Fr. Io. Baptiſta Taſsis de Voltagio, S. P. D.



Vam tribus iam annis peractis tuam Reuerendisſimam ueritus præſentiã, trepido, & tepido forſan ſermone de te, apud te habui orationem, eam hodie deſcriptam tibi offero, non quod amplum tuarum laudum campum his limitibus complexum eſſe exiſtimem, ſed potius, ut quod incomptè uerbis expoſui, aliquo melius ſcripta referant. Scio tuas aures undequaq; modeſtiſſimas proprias laudes egrè ferre, atq; eò magis ſcriptis, typoq; mandari non facile perpeti; humiliter tamen te obſecro, hoc pauperculi filii obſeruantiæ ſignum, atq; hunc ſtudiorum fructum (quamuis ſero primordia uideri poſſit) ne deſpicias, quòd ſi facies, ut confido, deinceps philoſophiæ, ac Theologiæ fruges tibi offerre non uerebor. Modò nõ ipſe ſolus, ſed uniuerſum Sancti Antonii Patauini Collegium, cuius nomine ad tuum tunc ueni conſpectum, ut uiuas fœliciter,

Et uideas Pilii ſecula terna ſenis.

Deum optimum Maximum deprecatur. Vale Patauii menſe Nouemb. 1596.

ORATIO.



LLVSTRE ac propè diuinū hominū genus in terris est (Reuerendissime Pater Religionis Seraphicæ ornatissimū decus) qui nihil spectant nisi eccelsum, & sublime, nihil nisi se uerum, & graue, nihil nisi magnum, et admirabile, nihilq; nisi sanctum, & cœleste, qui ad omnia somnia nati, ac terrena omnia, quasi quoddā uilissimum cœnum aspernati, in hac mūdana scena solius imortalitatis splendorem, seu potius diuini cuiusdam numinis maiestatē præseferētes unius uirtutis effigiem, ac solidæ gloriæ imaginem summopere excolūt; etenim sensibus omnibus subactis, sola in eis ratio dominatur eamq; animæ partem, quæ mēs dicitur, semper ad rerum cœlestium cōtemplationem eleuāt, uoluntatem huius parui regni reginā, quæ rationis, mentisq; gerit imperium, & supremam in homine sedem obtinet, in diuinis contemplandis occupant, et in memoria semper habent innumera summi, ac immortalis Dei beneficia in se collata, singularem pieta-

tis

tis ardorem, incredibile clementiæ argumentum, et admirabile amoris monumentum illius, qui infinita ſua omnipotentia cuncta condidit, & mira prouidentia uniuerſum gubernat. O Numen hominum, qui et literarum eruditione uigent, & integritatis lumine reſplendēt, quibus ab incunabulis creatoris ſapientia alma Natura dedit omnibus antecellere, ut ii quoddam numen diuinum cum nutricis lacte imbibiſſe uideantur: quare non immerito diuinus ille Plato nunquàm ſatis laudatam de hoc genere hominum pronunciauit ſententiam; honeſtam in homine uirtutem tāta preditam eſſe excellentia, et pulchritudine, ut ſi corporeis oculis cerneretur, omnes in admirabilem ſui amorē excitaret. Eius generis mihi uideor te uidere (Reuerendisſime Pater) cuius propèmodum diuina uirtus non ſolum hanc noſtram Franciſcanam Religionē, ſed etiam alienos homines in maximam hic admirationē traxit, & tanquā fulgentisſimum ſidus, de ſublimi ſpecula honeſtis diſciplinis illucesſit. Ego uerò tui amore allectus potius quàm, ut tuarum uirtutum ſplēdorem ſignificem, licet totius diſciplinæ ignarus, non

quidem, ut à te aliqua assentatione gratiam aucupari uidear, sed ut meæ erga te obseruãtiæ argumentum ostendatur, de tuis laudibus dicturus in hunc locum conscendi; neq; uerò Patriæ calebritatem, sanguinis nobilitatem, uetustatem familiæ, parentum disciplinam cõmemorabo: longum etenim esset de his omnibus orationem habere, et sigillatim singula laudibus referre, & plura mihi superessent, quæ pro temporis angustia, & pro imbecillitate ingenii mei perstringere non possem; itaq; tãtum eas uirtutes explicabo, quæ à te ipso proficiscuntur, quandoquidem sunt ueræ laudes ingenui uiri, quæ non alieno labore, sed proprio Marte comparantur. Igitur à tuo nomine ducam exordium (ut in philosophorum more positum est) Philippus quid enim præsefert nisi philosophiæ Limpham? quid sibi uult philosophiæ Limpha, nisi omnigenæ sapiẽtiæ oceanum, quæ duos ramos continet? nam altera eius pars in rerum diuinarum inuestigatione uersatur, quæ bonarum artium, ac illustrium disciplinarum fons potest nuncupari; Altera in laudabili uitæ ratione, quæ morum probitate pollet, & uitæ integritate su-

per-

pereminet, est posita. Quis enim est (prestantissimi Patres in utroq; sapientiæ genere Philippo, uel præstantior, uel illustrior? si enim eas disciplinas, quas liberales (eòquod sint libero dignæ) sapientes uocant, recenseam, omnes in huius pectore tanquam in Parnasi culmine hospitium cōstruxisse comperiam; si uero præclaram eius uitæ honestatem spectemus, procul dubio uirū admirabilem intuebimur, nanq; a primis annis eam artem, quæ cæterarum origo & fundamentum est, optime percepit, illaq; præstantis ingenii signa dedit, quæ decent ingenuum adolescentem; ut omnes æquales suos facilè superauerit. In eo admirabantur cæteri iuuenes ingenii acumen, indolis præstantiā, animi ingenuitatem, ut ipsum tanquàm exēplar omnes sibi proponerent, ac nec latum quidem unguem ab eius imitatione discederent. Quare ut animum optimis artibus institueret, ad oratoriæ præcepta capessenda se totum contulit, et ad unam eloquentiam, quæ homines à barbaro uiuendi usu ad politicam normam in Ciuitatem conuocat, omnes uires intendit. Legimus Paridem Helenæ pulchritudine allectum (quæ tāta uenustate in historiis

cele-

celebratur, ſpartam, quam ſimul cũ tota Regione bello uaſtauit & expugnauit, nauigaſſe, ibiq́ Helenam ipſam rapuiſse ferunt. Tu uerè Paris es (Religioſisſime Antiſtes) quem ob id patrem eloquentiæ dixerim: Quod ſparta mundanarum uoluptatum, concupiſcentiarum regione uaſtata, quæ homines à rerum diuinarum coutemplatione retardant, & menti obſtant, tuo ſubiugaſti rationis imperio; Helenam ſcilicet uberrimam eloquentiæ uenam cæterarum artium Reginam rapuiſti. Tu alter Paris uirtutis honeſtate impulſus longisſimas terras peragraſti, tot Maria tranſmeaſti, tot adyſti pericula, tantas ſubiiſti difficultates, ut non eam eloquentiam, quæ moleſta, & odioſa garrulitate obſtrepens, & inanem, vulgaremq́ detinet elocutionem; ſed eam, quæ ingenuis artibus perpolita, curam, dignitatem, ac perpetuam laudem ſpectat, tuis retuliſti monumentis; teſtantur præclare illæ tuæ conciones, quibus hominum uoluntates ad ſolã Chriſtianam uirtutem amplexandam ex rerum mundanarum appetitu abducebas, populosq́ in uitiorum labem prolapſos mellita oratione ad Deum cõuertebas; teſtatur Neapolis olim

urbs

urbs regia: testatur Panormum Sciciliæ metropolis: testantur hæ Antenoris Arces, nouæ Italiæ Athenæ, quæ tantam profectò dicendi uim, tantumq; doctrinæ flumen ex ore tuo emanans; quo hominum mentes dicendo suauissimè alliciebas, plenissimè hauserunt. Deinde (Patres optimi) noster hic Antistes ad philosophiæ studia se contulit, cuius speculationi tantum erat innixus, ut rerum naturalium causas, prima principia, ignotas rerũ differentias, nudæ materiæ essentiam, formarũ quidditates, accidentium inherentiam, naturæ entitatem, motuũ uicissitudines, Cælorũ motus, planetarum anfractus, uniuersi immẽsitatem, intelligentiarum assistentias, ac intima prorsus naturæ archana nemo eo accuratius est contemplatus, nemo diligentius perscrutatus, nemo subtilius disseruit, nemo acutius inuestigauit; Quam obrem nil aliud nobis pollicetur præclarum Philippi nomen, nisi quãdam scientiarum perfectionem; si illud intimis sensibus contemplari uelim, reperiam primam nominis litteram, quæ P. est, in ea philosophia uersari, quæ non est unica uirtus, sed omnes ingenuas artes exprimit: nam cum sit duplex,

B *phi*

philosophiæ genus circa res diuinas, alterũ cognoscẽdi, alterũ diligẽdi, ita cæteris in utroq; excellere studuit, ut omne uitæ tẽpus, in rerũ supra Cœlestiũ cõtẽplatione cõsumat, oẽsq; cogitationes ad unius Dei amorẽ intendat. H. Cum non sit littera, sed aspirationis nota miserias, erumnasq; singnificat, ut nobis innuat, te non litteram occidentem, laboribus plenam, sed spiritũ uiuificantem, ab hac infoelicitatũ arce alienum semper excoluisse, a quo primũ die fuisti in hanc lucem editus: nam mundanis scientiis ferè neglectis ad I. substantiam perfectam puncto coniunctam, quæ in hoc nomine merito. H. connectitur, hoc est Iesum Christum, qui. I. suæ diuinitatis, quæ non solum est perfectissima substantia, sed etiam omnium perfectionum pelagus puncto animæ copulãs. H. nostræ carnis infoelicitate, et morte plenæ peccatorum maculis corruptæ, quæ substantia erat tanquàm nihilũ ante Deum; in incarnatione coniunxerat, totis uiribus ita semper anhelauit, ut diceret cum diuo Paulo mihi uiuere Christus est, &. mori lucrum. L. littera longa excedens cæteras, appositè conscribitur, etenim iis animo semper infixum habuit

buit uitam hanc esse mortis umbram; Proinde ad alterius uitæ Longitudinem & perpetuitatem mentem traduxit; si enim linea est ex punctis Longitudo, cuius extrema sunt duo puncta, hic summoperè studuit à puncto in pũctum huius rectæ lineæ percurrere, idest mala uitare, & bonum complecti, ut ad Cælestem uitæ æternitatem aduolaret. I. iterum recensetur, nam sæpè, & prædicationibus, et orationibus plurimos incredulos hebreos, qui ad eum dicentem audiendum multoties conuenerant ad uerã Christianam Religionem conuocauit, in eamq; fidem Induxit, ut quem Crucifixum solum hominem primum putabant, eum Messiam gentibus promissum, qui iam uenit de Virgine natus, et uerum Deum, & uerum hominem esse toto corde crederent, & confiterentur. Animaduertite Patres in hoc nomine triplicatam litterã. P. haud sine misterio, quid? ut te triplici uiuendi genere effloruisse, demonstraret; qui non Ethica solum uitæ facultate, quæ in se uirtutibus exornando consistit, & non modo in Oeconomica ratione, quæ familiæ curam administrandam suscipit, sistit gressus, sed altiorem sedẽ politici dominii

conscendit, quæ in uniuersa Reipublicæ administratione uersatur; dum ad ordinis magisterium assumptus est; Quod omnibus perspicuum est, ex eo quòd suorum studiorum curriculo superacto, Romæ Conuentus Baccalaureatum gessit summa cùm laude, ac suis ordinis decore: quamobrem Perusium ad Generalia Comitia accersitus ab Antonio Fera tunc Reuerendissimo ordinis Generali Ministro, insula doctoratus fuit insignitus, & Religionis scriba, seu Cancellarius est declaratus. Cum uerò in eo munere subeundo per triennium quam laudatissimè omnem operam, omnemque industriam posuisset, Neapoli primum, deinde Panormi, postremo Patauii in hoc celebratissimo D. Antonii Cœnobio tanquam Scoticæ disciplinæ exemplar singulare, quod omnes imittarentur, Magister Regens creatus est; quibus in locis litterati uiri, qui hoc præceptore Theologicis litteris operam dabant, eum indicendo grauem, in ueritate indaganda peracutum, in discernenda maturum, in speculando subtilem, in pertractando distinctum, in soluendis quæstionibus doctorem inrefragabilem, in enucleandis scholasticorum Patrum sententiis,

tiis, fundatissimum semper habebant. Fælix Patauium Vrbs Florentissima, tum ingeniorum celebritate, et doctrinæ copia, tum tanti uiri illustrata disciplinis. Sed dum in hoc celeberrimo loco Regentis munere fungeretur, absens Minister Prouincialis suæ Prouintiæ à Patribus electus. Eodem anno scriptor ordinis, et socius Assistens Reuerendissimi P. Generalis Francisci Gualdensis iterum est pronunciatus. Hinc non post multum temporis Assisii Comissarius Generalis denunciatur, vbi tanta desteritate ferè corruptos mores restituit, pristinũ uitæ genus penè neglectũ tãta prudẽtia reduxit, ut politica se de se dignissimum demostraret; nonne hæc sunt clarissima præstantis hominis signa. Hoc igitur vnum restabat ad collabentem Religionem subleuandam, vt politicum munus aggrederetur. Quamobrem in eo Patrum Cõuentu Romæ proximè habito tanto gaudio, tantoq; iubilo, non solum nostræ Religionis, sed etiam totius Romanæ Curiæ, & præsertim summi Pontificis Clementis Octaui Generalis Minister cõmuni Patrum consensu creatus est. V. litera bilinea uocalis ueritatis

amo-

amorem in duos riuulos & Contemplatiuæ, & Actiuæ uitæ diffusum præfigurat, quo gentes ad Christianam religionem uocauit ut iis quasi duabus rotis suæ Aurigæ cœlestes aulas conscendere posset. Sacræ scientiæ eruditione uirum sapientissimum. S. ultima nominis litera explicat, qui ueræ sapientiæ à summi Iouis cerebro prognatæ, hoc est ab eterni patris intellectu ab æterno progenitæ, in corde imaginem fixit, qua uera remedia cum salubri medicina coniuncta, populis præstitit, angelicas acies numerauit ac sũmi Dei naturam aliis inuestigauit. Quis (Patres) in genere hominum diuinæ sapientiæ splendore fulgentior? quis mentis acumine præstantior? quis uè maior in hoc genere laudis? sed ad eam philosophiæ partem, quæ uitæ bonitatem complectitur, nostra se conuertat oratio; quid.n. signat cognomen? Gesualdus nisi Jesus amore ardentem hominem? in hoc uere uiguit firmissimum in primis fidei Christianæ columen almum fidei profugium; ardens charitatis flamma, qui pro eius defensione nullos recusauit labores, nullauè uitauit pericula, ut fidelium mentes Igne diuini amoris estuarent, ut

eis, quibus non deerat uitæ exemplo, subministrauit uerborum flamen, quo accenderentur. Christum dominum gerit in pectore gentium animos ad diuinarum rerum contemplationẽ eleuat, suggerit fragrantiam sanctitatis, ubi fideles in Christi amore spiritu tepescebant. Quod sanè aperiunt tot deuotionis indicia, quæ ubiq; spartim disseminauit: nam nominis Iesu confraternitatem sub Dominicæ passionis titulo pluribus in locis, sed præsertim Pataui, & Neapoli, tùm ad animarum profectum, tùm ad Dei gloriam instituit, & fundauit, ut tanta misteria Christi fideles præ oculis haberent, atq; hoc sinapis granum eximiæ deuotionis ad summum excresceret. Quid opus est uerbis? in hoc uno Philippo Gesualdo tanquam in admirabili rerum omnium epilogo ea, quæ ad morum probitatem, & uirtutũ splendorẽ pollet, uirtus residet optimo principe digna. nam iustitia cum in malis corrigendis, tum in bonis præmiandis; temperantia, uel in pœnis statuendis, uel in frenando minus rectos animi impetus: fortitudo in tollerandis Reipublicæ laboribus, & aduersis perferendis; prudentia in bonis semper expectandis,

malis


malis uerò fugiendis in te sedem locarunt. Nihil enim unquam egisti, nec agis, quod nō sit summæ desteritati adiunctum, nihil in grauioribus negotiis absoluis; quod recta rationis moderatione non perficiatur. O Antistitem nobilissimum ò Præsulem dignissimum, ò virum in omni posteritate calebrandum. ò Rē publicam præclarissimam tanti Principis sapientia gubernatam. Quis non congaudeat in tàm uniuersali lætitia? quid boni non pollicetur Franciscana Religio? congaudet horum amplissimorum patrum senatus, qui te uenerantur, & colunt: lætatur hæc adolescentium Florentissima frequentia, quibus ad ueràm uirtutis arcem, iter patefecisti; gaudet amplissima philosophorum societas, te sophum, ac præceptorem, àd eorum tecta incolumen peruenisse. Congratulatur præterea uniuersa hæc Patauina Familia tuo isto aduentu, quæ in te uno omnium priscorum patrum splendorem admiratur. Itaq; tanta lætitia, et ego gestiens (Reuerendissime Pater) in illud Platonis elogium prorumpo, fælicem (inquiebat ille) tunc Rempublicam fore, cum

Reges

Reges aut philosopharentur, aut essent philosophi. O fælix, ò beata Franciscana Respublica, cui philosophus princeps praeest & dominatur; quæ obsecro (Patres amplissimi) aut est, aut erit unquàm Respublica hac nostra, uel beatior, uel fælicior? In qua Philippus Gesualdus omnibus modis uenerandus, omnibus numeris absolutus tanta cum laude sceptra ministrat; qui Religionem litteris Florentem ornabit, & augebit, afflictã excitabit, iacentem eriget, turbatam placabit, et opressam Dei Opt. Max. auxilio, ac eius insigni prudentia, eximia sapientia, ac singulari authoritate fouebit. Hæc igitur sunt (amplissime Pater) quæ ut tantam lætitiam explicarem pro tua ad Generàlatum creatione, atq; ad hanc Vrbem accessu, me ad dicendum excitarunt, deficerent enim certè latera, si longius orationem traducam, quo-circa is erit meæ orationis status, ne Auriferas Hesperidum sororum arbores in tuis illustrium uirtutũ hortis excolere, liliaq; bonæ uitæ, morum rosas, & flores litterarum colligere uidear, quasi Picagarula obstrependo. Amphionis Thebani Cithara, Micenis æolidis, Virgilia-

na tuba mihi essent exoptandæ, ut tuarũ laudum præconia celebrarem, ac immensum tuarum uirtutum campum præcurrerem. Silebo tacitus, mecum hæc animo uoluens, & negotium, quod cæteros longè eloquentiores & oratores defatigauit taciturnitate absoluam; quarè te (Reuerendissime Pater) qui studiosorum Mæcenas es, non secus ac fuisti semper, etiam atq; etiam rogo, ut me in tuorum numero esse patiaris, meaq; studia pro summa tua in litterarũ cultores beneuolentia, et pro singulari erga tuam Franciscanam familiã humanitate, me adiuues, adiutum subleues, subleuatum tuo fauore foueas; me enim semper habebis & perpetuum tuarum laudum præconem, et assiduum apud Deum præcatorem, ut comissam tibi familiam in finem perfectum dirigas, tibiq; prosperè eueniant omnia. Faxit igitur Deus, ut pro eius gloria, te nobis diutissimè conseruet, et euehat ad summum dignitatis fastigium.

Dixi.



Fr. Paulus Sanſon. Vic. S. Inq. Patauii
Alex. Terentius Vic. Gen.



PATAVII,

Apud Laurentium Paſquatum. 1599